

Biogr. er. D
168

Biogr. erud.
D. 168.

1208a



Christianus Vaier
Phil. et Med. Doct. et Patholog. Prof. Publ.
in Academia Vitembergensi, et Phisic.
Provinc. Saxon. nec non Consiliar. Aul. et
Archiater Anhaltin. Etat. Ann. LXXXI.

Bernigroth sc. 1771.

1

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
FRANCISCVS
VVOKENIUS

S. THEOLOG. DOCT. SANCTAE
ET ORIENTALIVM LINGVARVM
PROF. PVBL. REG. B. SCIENT
SOCIET. SOCIVS

CIVIBVS ACADEMICIS

S P D



1268 a

RECTOR
ACADEMIAE VITENBERGENSIS
FRANCISCVS
VVOKENIVS
S. THEOLOG. DOCT. SANCTAE
ET ORIENTALIVM LINGVARVM
PROF. PUBL. REC. P. SCIENT.
SOCIET. BOGVS
CIVIBVS ACADEMICIS
M. D. C. C. C. C. C.



Et si eorum, quae natura tribuit, nihil, uita, praestantius est, uita tamen, morbis obsessa, mors ipsa, quam nemo naturaliter non horret, melior ab Siracide, et sapientissimo quoque, merito iudicatur. Valetudinis, e contrario, prosperitas, et corporis firma constitutio, quolibet auro potior, immensis opibus praestabilior, iure nihilo minore, ab eodem Siracide existimatur.

Quod quidem cum, utramque in partem, suo commoniti sensu, intelligerent ueteres, uiros, medendi scientia claros, tantis extulerunt honoribus, ut eos in deos referrent. In his numerant Apollinem atque Aesculapium, utrumque Medicinae praesidem imponunt. Addunt Mineruam, quam $\Upsilon\Gamma\text{EIAN}$ dicunt, et *Medicam*, in uetustis Saxis. Addunt Neptunum, quem $\Upsilon\alpha\rho\acute{\omicron}\nu$ colit Tenos, insula, teste, apud Clementem Alexandrinum, Philochoro, ipsumque Iouem, qui, apud Lucianum, $\Upsilon\alpha\rho\acute{\omicron}\nu$ se uocat ipse, sed in Numis $\Sigma\Omega\text{THP}$, idque in morbis, ut constat ex Aristide, in priscis Lapidibus SALVTARIS, usurpatur. Adeo cum iis quoque diis artis Medicae gloria communicatur, quibus partes, longe alias, error profanarum religionum dedisse uidebatur. Itaque in Luciano deorum concilio decernitur, dii suis quisque rebus studeant, ne Minerua medeatur, neu Apollo Medicum, plurimum curiosus, agat. Ipse etiam Hercules, abiecta claua, Messanae, in Sicilia, medicinam exercet, ob eamque rem Aesculapius nominatur, ut Aristides tradit.

At, quicquid horum uenditatur numinum, homines fuisse, sanandi morbos arte admirabiles, nihilo minus inter ueteris memoriae peritos constat, quam, omnes deos huius generis commentitios, homines cum fuissent, ob beneficia, in homines collata, et inusitatae uirtutis opinionem, in sede diuinitatis collocatos fuisse. Hoc a sacerdotibus ipsis didicit Alexander ille Magnus, ut ipse scribit ad matrem suam, hoc Minutius Felix, Lactantius, Arnobius, alii, docent. Ex Graecis, pluribus quidem in locis, Eusebius, sed, praeter ceteros, hic ideo nominandus, quod, in Chronicis, eius potissimum rei causa scriptis, ex argumentis sacris, primus demonstrat, Inachi temporibus posteriorem Moysen esse illum quidem, sed omnibus gentium diis, quamlibet antiquis, natu maiorem. Quos igitur fama praestantis cuiusdam facultatis illustrauerat, hos admiratio aliorum superstitiosa deos fecit, ut mirandum non sit, si priscis Medicis, ob usum artis suae, uitae humanae tam necessarium, suamque in hac arte excellentiam, uulgo cultis, honores fuerint publici diuinique cumulatissime decreti.

Quamquam uero hoc antiquitatis iudicium, si, pro recondita ueterum sapientia, sine superstitionis labe, ponderetur, arti salutari magnam decoris accessionem adiungit, decus, tamen, illius longe amplius in **DIGNITATE MEDICI CHRISTIANI** quaerendum, uidetur. Huius enim, quae Christianorum studio tractatur, Medicinae praestantia quin sit insignis, dubitari non potest, siue exemplum, quod sequitur, siue uires, quibus pollet, siue ii, quorum commodis inseruit, siue uirtus, cui dedita est, spectentur

Atque exemplum quidem, sine exemplo maximum, praebet ipse, ne quid salutaris putemus, *Princeps Vitae*, ipse, ne quid excelsius, *Iudex Viuorum ac Mortuorum*, qui, regionibus peragratis, miserimos sanauit, et, quamuis animorum Seruator esset unicus, ipsorum tamen corporum saluti noluit deesse. Pro magnitudine quidem sua, proque consilio, perfectis mirabiliter operibus, homines ad uerum sincerumque perducendi, morbos curauit insanabiles, ut ipsi Medici, excussa artis suae intelligentia, attoniti, animaduertunt, ex iisque Guilielmus Ader, ac Thomas Bartholinus, ostendunt. At illi, suae sibi fragilitatis conscii, satis habent, si, sanctissimis Heri sui uestigiis insistentes, tantum laborantibus subueniant, quantum ipsius ope firmentur

Hinc enim artis suae robur, tanquam ab ipso fonte Salutis haustum, sumunt, Christum, recordati, discipulis suis, quos, ad ueritatem coelestem, mirificorum spectaculis operum, confirmandam, reliquerat, facultatem sanandi, et promississe adhuc conspicuum, et, sublatum in coelum, imperitiisse. Illi uero, *In nomine Iesu Christi Nazaraei*, inquit, *surge, et ambula*. Sic, erectis, qui iacuerant abiecti, atque exsiliantibus, sua per alios uirtute, denuo morborum stirpes elidit Christus, eaque simul re ipsam sanandi artem consecrat rursus, ipsaque auctoritate sua reddit illustriorem. *Non herba, non malagma, curat aegros, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. Tu enim uitae ac mortis potestatem habes.* Hoc optime praecipit uetus Sapientiae doctor, hoc ipsum Coelestis illius Sapientiae proprium est, quae aduocat aerumnosos et recreat, quae uerbi sui potentia sustinet omnia, quae ipsa est Sermo ille aeternus, Verbum uitae, quae, accepto coeli terraeque imperio, mortuorum, domina est, atque uiuorum. In Iesu igitur, Domini sui, tam praepotentis, tam numine suo praesentis, ad opitulandum tam accincti, remedia languentibus qui proponunt, hi quidem, etsi, pro religione animi sui ac modestia, primoribus illis, diuinitusque munitis, rerum, mirabiliter gestarum, effecto-

ribus

ribus comparare sese non audent, profligatis tamen saepe, nec opinato, grauiſſimis, desperatiſque, morbis, in reſectis aegrotantium uiribus uim quandam altiorem ſentiunt, cuius, ſupra captum humanum ualentis, praesentiam admirari debeant ipſi, et, pro diuini auxilii pignore maniſteſſimo, reuereri

Omnino, Ducis ſui coeleſtis, Cananaeam ſanantis, exemplo, ſcientiae, diuino munere ſibi tributae, beneficium nemini hominum inuidet, ea praesertim aetate, qua lux ipſa ſalutaris gratiae cunctis mortalibus afulſit. Intelligunt tamen, quanta non ſolum cum charitate, ſed etiam dignitate, Chriſtianiſ, ſpei ſuae beatae ſociis, artis ſuae operam nauare poſſint. Hos enim Chriſtus, ipſo ſanguine ſuo ablutos, ab interitu retraxit, in hiſ peculium ſuum, ex populis delectum, conſtituit, in hiſ templum Diuini Spiritus exſtruxit, in hiſ, ſuum, totiuſque Sacro Sanctae Triados, domicilium collocauit, hoſ membra corporis ſui eſſe uoluit, horum ipſe uoluit eſſe caput. Hi, coelo recepti, ut ſol, exſplendeſcent, ſient ſimiles coelitibus, iudicabunt Angelos, regnabunt cum Chriſto, perpetuo Dei aſpectu, beatiffimoque, fruuntur. Quantum ſit, eſſe Chriſtianum, nescit Agrippa, quod ſi ſciret, Chriſtianum nomen, excuſatione friuola, haud aſpernaretur. At, quam glorioſum hoc beatumque ſit, ſi quis, ut Chriſtianus, indignitates perpetiatur, docuit, ex Praeceptoris ſui coeleſtis diſciplina, grauiſſime Petrus. Antiqui certe ueritatis patefactae teſtes barbaris toribus, omni contumeliarum ſuppliciorumque terrori, opponere, ut propugnaculum, hanc uocem ſolebant, *Chriſtianus ſum*. Chriſtianos igitur, morbis labefactatos, medicina confirmare, quid aliud eſt, quam iis ora, ad efferendas Dei laudes, aperire, atque, amplificanda Dei gloria, ueram ſolidamque gloriam adipiſci. Hoc enim eſt, in Domino gloriari, quod a gloriae, non infucatae, cupidis fieri, iubet Paullus. Ex qua quidem re quanto plus in Deum gloriae redundat, tanto glorioſior res ipſa putetur, quippe, cum uanum ſit, quicquid nihil adiuuat ad gloriam Dei

Tanto minus Medicina Chriſtiana, niſi ſui uelit obliuiſci, hominum ualeitudinem quaestui habet, ut iſte profanae Medicinae praeses, Aesculapius, cui, Pergami, officinam ſuam aperienti, ſuccenſet Iupiter Lucianeus, tantamque ueteres auaritiam exprobrant, ut, eum fulmine uindicatum, Pindarus, a Tertulliano laudatus, dicat. At, charitas Chriſtiana, aliud medendi conſilium inſit, nec ſordibus hiſ ſuum polluit officium, ſed, afflictorum fortunam miſerata, miſeris ſuccurrit, adhibet fomenta, quantum poteſt auxilii, affert, maximum putans quaestum, piam ſe, amantem ſociorum, in rebusque, tam aduerſis, quam ſecundis, fidam, co-

gnosci. Haec igitur uirtus est illa, quae, testante Paulo, uinculum est perfectionis, eaque de causa tam nobilis, ut, illam qui suscipiat, tantum ex ea dignitatis, quantum sanctitatis, consequatur. Fuerit, si quis antiquitati nimium indulgeat, fuerit, inquam, Medicina a ueteribus, ut aetate superioribus, inuenta, fuerit ingeniis solertibus exulta, fuerit a nouis interdum falso potius intellecta, quam merito castigata. Habuit tamen Christiana Medicina, quod inuentis antiquis adderet, habuit, quod in ueterum placitis emendaret, quod in artis formam redigeret, quod, in Anatome praesertim, antehac ignoratum, exquireret primum, aut perfectius daret. Habuit denique, quod, commentitio Aesculapii praesidio ereptum, uerique DEI auspicio uindicatum, ab omni superstitionis labe repurgaret, ad sanctioremque sui usum, et ueram diuini Numinis gloriam, reuocaret. Tantum amplitudinis, ex multis grauibusque causis, accedit Medicinae Christianae, ut artis, consilio sanctae, efficientia salutaris, usu praeclarae, studio piae, palmam, diuinitus porrectam, merito ferat

Quam quidem palmam tulit CHRISTIANVS VATERVS, eo profecto potiore iure, quo diutius sanctiusque artem medendi factitauit, quo clarius, inter aevi sui Medicos, eluxit. Hic enim Christianus re factisque nomini suo respondit, ipsius Seruatoris sui, infirmos sanantis, memoria, ad aegrorum miseras, pro uiribus, a Deo suffectis, leuandas depellendasque, permotus, ab eoque instituto, nulla laborum difficultate, nullis molestiarum taediis, nullo senectutis languore, unquam retardatus, nedum auersus plane. Hac igitur animi, tam sancti, constantia, quam maius quoddam ac salubrius auspiciu fortunauerat, tantum profecit, ut, medicina decumbentibus adhibita, morbos infringeret acerrimos, eosque saepe, qui iam deponendi uidebantur, superata omnium expectatione, periculo salutis expediret. Hoc tamen prospero rerum euentu, quem soli tribuebat Deo, non elatus, sed in proposito, calamitosos subleuandi, confirmatus, praesertim, cum, pro bonitate naturae suae, omnibus quidem opis suae indigentibus consultum cupe- ret, magnopere tamen gauderet, se, in piorum coetu natum educatumque, scientiae suae studium impendere iis posse, a quibus Dei laudes non, ut inter profanos numinum cultores, obtererentur, sed pie casteque praedicarentur. Hos summa charitate complexus, studium, aliis nauandum, non spe lucri, sed officii pietate, definiuit, nihil ab se, arbitratus, agi recte, nisi fidem Christianam, mente conceptam, mansuete beneficeque factis, quibus aliquid ad communes afferret utilitates, probaret. Etsi uero ex rebus, tam bene compositis, quanta eum profecuta sit hominum existimatio, perspici potest, ea
ta-

tamen, adiecto uelut cumulo, illa creuit industria, qua, uel discipuli, sunt eruditi, uel lectores. Artem enim, quam feliciter in aliis expertus erat, aliis fideliter tradidit, tanta ad eum, e multis remotissimisque gentibus, confluente auditorum multitudine, ut horum conuentu domus eius, quasi Hippocratica quaedam schola, celebrari uideretur. Sed, quoniam nullum laboris genus subterfugit, multa etiam, partim Medica, partim Physica, literis mandauit, quae, in uulgus edita, manibus omnium teruntur, multaue afficiuntur multorum laude. Sic se gerendo, magnam apud doctos, magnam apud omnes bonos, gratiam iniit, documentumque dedit illius Medici Christiani, cuius dignitas, non ascito quodam splendore, niteret, sed ipsius luce uirtutis. Quo pluris igitur eius habenda sunt merita, hoc mors eiusdem nobis acerbior uideri debet, quamuis primo et octogesimo aetatis anno decesserit, et multis diu fatis uixisse uideatur, qui aetatis, tam prouectae, gradum sperare non ausint.

Natum anno MDCLXVI, XVI Cal. Decembres, Iutrebogae, opido uicino, ingeniorum haud sterili, parentibus honestissimis, Ioanne Albrechto Vatero, et Gertruda Emilia, non tam splendida ac locuples, quam pia frugalisque, domus excepit. Duro igitur initio usus adolescentiae, sed ingenio praeditus, maioris fortunae capaci, positus in patria disciplinae rudimentis, anno MDCLXX, Torgauiam com-
meauit. Hic, eruditorum hominum, Reichmannorum, Rhodiorum, Schmidiorum, fidei commissus, literarum studiis creuit. Ipse, ut egestatem sustentaret suam, instituendis aliorum liberis, multum deuorauit molestiarum. Aucto iam politioris humanitatis cultu, VVeissenfelsam, in Augusteum, concessit, ac Sigfridorum, Leusdeniorum, VVeiffiorum, uirorum haud obscurorum, praeceptis imbutus, in elegantioribus literis, Historia, Philosophia, altiorum scientiae gradum struxit. Ad salutaris maxime artis studium exarsit, Christiani Luiani hortatu beneuolentiaque incitatus. Ab hoc Chymiae, Rei Herbariae, aliarumque partium, in quas Medicina describitur, cognitionem accepit, hunc, maiore iam familiaritate contracta, non solum docentem audiuit, sed etiam operas Chymicas exercentem spectauit, multa ipso edoctus opere, quod hic non tam iussus faciebat, quam sibi, cupiditate discendi, deposcebat. Hunc, nunc aegros inuisentem, nunc officinas pharmacopolarum lustrantem, nunc alia Medici munia obeuntem, comitatus, uidit multa, cognouitque, quae sua ex re forent. Ex Luiani, quem filii pietate semper coluit, complexu dimissus, anno MDCLXXIV Vitembergam perrexit, instans operi, bene coepto. Hic, tempus rei bene gerendae nactus, Schneideris, Sennertisque, ducibus multo exercitatissi-

mis, Medicinae spatium emensus est, usumque medendi doctrinae iunxit. Reminiscens tamen, quantum leuitas circulatoris a grauitate Medici distaret, sapienter cauit, ne qua scientiae opinione inflatus, neu temeritate, tanquam uento, ad medicinam faciendam, abreptus, infirmorum discrimine, medicamentorum uires experiretur. Hoc inito compositae mentis consilio, cum omnes Medicae scientiae recessus, quoad potuit, excussit, tum in Anatomicis, et Physiologicis, plurimum studii contriuit, his, ratus, subsidiis, ad humanam naturam nauiter explorandam, opus esse, quo deinceps, statu corporis naturali perspecto, de altero, qui ab hoc discedit, statuatur, nec morbi tantum, sed horum etiam caussae, cognoscantur. Rationibus studii sui tam bene subductis, in eum rem deduxit locum, ut, ipso doctorum suorum iudicio, non minus ad Medicinam tradendam, quam faciendam, idoneus haberetur. Aliud prudentiae specimen adiecit. Quanquam enim se Arti Medicae dederat, philosophandi tamen studium haud reliquit, huius, arbitratus, radicibus, ut alius exquisitioris scientiae, sic Medicae, adiumenta defigi. In pluribus igitur Philosophorum exercitationibus, Frenzelianis maxime Physicis, plures uersatus annos, argumentis etiam differendi, in eruditorum circulis, identidem propositis, spectatus publice atque commendatus, Lauream Philosophicam, industriae ac doctrinae praemium, anno MDCC LXXV, cunctis suffragiis, impetrauit. Honorem, uirtute partum, doctrina defendit, tum disputationibus publicis, tum commentationibus priuatis, iam latius explicata. Sed omni fortunae, quae deinceps consecuta est, uiam aperuit annus MDCC LXXXI, adiuncto Doctoris Medici gradu, auspiciatus. Ille enim, summis contendendum uiribus, existimans, ut expectationem, de se commotam, ne frustraretur, et auditorum studiis floruit, et complurium, quibus sanitatem restituit, fauore. Dignus idcirco, praeter ceteros, iudicatus, cui primum, anno MDCC LXXXVI, Physici prouincialis, tum, anno MDCCXCII, artis Medicae, auctoritate publica interpretandae, munus hic mandaretur.

Vidimus labores eius, atque suspeximus, eximios certe, diutinos, nunquamque remissos. Vidimus eius discipulos, frequentes utique, rerumque suarum scientissimos, qui nunc, uel Academicis occupationibus fundum Medicum excolunt, uel in patria, finitimisque gentibus, cubantium lectulis, magno horum solatio, assident, uel praceptoris sui famam, una cum scientia, longe lateque circumferunt, in terras regressi disiunctissimas, unde uenerant, claritate uiri, tam praestantis, exciti. Nemo nostrum ignorat, quot, quantae saepe dignitatis, quam pertinacibus fra-

cti

Et morbis, uariis ex locis, remotioribus etiam, salutis suae
 periclitanti, opem eius consiliumque expetierint, aut, do-
 mo profecti, ad eum diuerterint, et, ualitudine recuperata,
 sani, redierint ad suos. Quanto Germaniae sit ornamento
 uir tam laudatus, ut animaduertit incluta *Naturae Curioso-
 rum* Sodalitas, in suas eum tabulas, anno *CIO IO CXC*, retu-
 lit, et Nicomachi nomine insigniuit. Quanta eum gratia
 Principum Aularum sit profecuta, Cotheniensis testatur ac
 Seruestana, quarum altera ei, anno *CIO IO CC VII*, Archia-
 tri locum, altera, biennio post, consimilem dedit, sed eun-
 dem, anno *CIO IO CCXXII*, Consilarii Aulici elogio auxit.
 Itaque, cum Sapientissimi Clementissimique Principis, *IO
 AVGVSTI*, multis magnisque beneficiis cumularetur, eius
 memoriam, ad supremum uitae tempus, habuit tam san-
 ctam, ut, illius recordatione, aetatis infirmatae solitudi-
 nes ac molestias alleuare soleret, et, relanguescente iam spi-
 ritu, Principi, tam singularis exempli, res quasque secun-
 dissimas, et extentum uitae spatium, precaretur. Quam
 quidem uocem, ab illo missam, merito pari pietate cultaque
 nos excipimus, *DEVM* comprecati, ut Principis, tam san-
 cti, tam effusae in pauperes munificentiae, in doctrinae stu-
 dia tam benigni, salutem, summa quaque fortuna exagge-
 ratam, rebus Serenissimae Domus semper florentibus, ad-
 uersus omnes infestorum temporum casus, praesidio suo coe-
 lesti, tueatur.

Maximis in rebus, quas quidem domestica felicitas lar-
 giri possit, habere solitus est concordiam, qua uixit in ma-
 trimonio, tam iucundo, tam diuturno, ut, successu tam
 prospero, laetus, transactis, hac animorum coniunctione,
 quinquaginta annis, anno proximo, mense Nouembri, *Iu-
 bilaeum* suum *Gamicum*, domesticis familiae, amicorum-
 que, precibus, ac moderati hilaritate conuiuii, celebraret.
 Coniugii tam exoptati foedere, anno *CIO IO CLXXXI*, iun-
 ctam sibi, habuit uxorem uirtutis commendatissimae, Re-
 ginam Dorotheam, filiam *Io. Deutschmanni*, Doctoris
 Theologi, meritorum, haud mediocrium, fama insignis, ne-
 ptem Abrahami Calouii, uel solo nomine suo Magni. Ex
 hac etsi decem liberos suscepit, horum tamen duos tantum
 reliquit superstites, Abrahamum, Doctorem et Professore
 Medicum, Sodalitatis Britannicae socium, Collegam no-
 strum obseruandum, et Christinam Elisabetam, Amplissimo
 Iurisconsulto, Friderico Vilelmo Lysero, Potentissimi Pru-
 tenorum Regis, in Regimine, Senatuque Ecclesiastico, Ma-
 gdeburgensi, a Consiliis, nuptum collocatam. Non po-
 tuit, pro amore paterno, non commoueri, elatis tot libero-
 rum carissimorum funeribus, acerbo maxime Georgii Fri-
 derici, cuius ingenium, doctrina perpolitum, in magna erat homi-

hominum expectatione. Sed consolatione rursus, haud leui, permulcebatur, cum, mitiore rerum suarum fato, Abrahamum suum uideret, trium et decem annorum collegam, laboris laudisque socium, nominis amplificatorem, in primisque tanta in se pietate, ut eius fide senectutis infirmitatem fulcire posset.

Valetudine tamen fuit firma fere, morbis, quod in gracili corpore mirere, nullis prope, nisi leuiculis, tentatus. Hoc tantum naturae bonum uitae sobriae, ac laboribus exercitae, retulit acceptum, temperantia, testari solitus, ac labore, uires ali, neruosque confirmari. Omnino perinde, ac Latinus ille Hippocrates pronuntiat, duobus uitii, desidia, atque luxuria, corpus affligi. Sed anno MDCCCXIV febre arsit periculosissima, cuius incendium restingui, non opis humanae, uisum est, sed diuinae prorsus. Reuocatis inde uiribus, optime ualuit, quoad anno superiore, subito ictus sanguine, plagam accepit, nondum mortiferam illam quidem, cuius tamen sensu, satis acri, mortalitatis suae admoneri posset. Huius memor, sed diuino fretus auxilio atque erectus, quod reliquum erat uirium, collegit, ut omnibus, quibus posset rebus, commodaret. Atque etiam iis, qui longius aberant, literis, accurate scriptis, consilii sui copiam fecit, ne excusato quidem itinere, quod in Aulam Seruestanam suscipi, officii religio iubere uidebatur. Laetus ualensque, domum reuertit, domi, quod suum putaret, strenue egit, sed, debilitatus paullatim, ipsaque senectute consumptus, in morbum rursus incidit, quo se confectum iri, ipse sibi praedixit. Ingrauescentis mali proiectus ui, animum, sibi constantem, ad Deum excitauit, abiectaue rerum caducarum cogitatione, in coelo spem defixit. Huc mente respectans, mortem non extimuit, sed eam, paratus ad exeundum de uita, aequissimo semper animo expectauit. Absumptis tandem uiribus, sensibus tamen integris, reddito placide spiritu, pridie Nonas Octobres, inter sacros suorum matutinosque hymnos, acquieuit.

At graue sui desiderium nobis relinquunt uirtutes tanti uiri spectatissimae, quarum memoriam etsi nunquam deponemus, haec tamen ipsa, quotiescunque de detrimento cogitauerimus accepto, quam iusta sit doloris, inde concipiendi reficandique, causa, nos submonebit. Lugentur Patres Collegam, humanitate, officio, prisca fide, multo coniunctissimum, Ciues, paterni animi, uel doctorem, uel adiutorem, aegroti, Medicum, consilio semper operaque instructum, inopes praesertim, beneficum, amici, ingenuum, apertum, fidelem, omnes boni, uirum antiquissimi moris, paratissimae comitatis, in omnes officiosum. Sed, hoc qui faciunt, non tam illius, quam sua, moerent damna. Neque enim moerore, sed gratulatione, prosequendus uideretur, qui uarias rerum uicissitudines cum felicitate perpetua commutat. Nec uero inter homines uiuere desinit, cuius uirtus, recte factis, ingeniique monumentis, expressa, posteris imitandi exemplum relinquit. P. P. quarto Idus Octobres,

A. recuperatae Gratiae MD, CC, XXXII

VITEMBERGAE PRELO GERDESIANO

Datum der Entleiherung bitte hier einstempeln!

19. Dez. 1995

23. April 1997

15. 5. 2000

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0179306

